



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Consideratio IV. De Sensibus Internis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

los repræsentent. Recolligantur ea, quæ ad initium hujus cap. dicta sunt de coloribus.

CONSIDERATIO IV.

De Sensibus Internis.

Per sensum internum intelligimus potentiam sensitivam, seu potentem elicere cognitiones materiales dependenter ab organis internis, ad quas cognitiones communiter consequitur appetitus materialis. De his igitur hîc sermo est, non autem de cognitione & appetitu rationali, qui elicitur, quin immediate dependeat ab organo corporeo. Dari sensum internum, non in homine solum, sed etiam in brutis, patet tum à posteriori; nam homo & bruta cognoscunt objecta absentia & præterita, quando hæc nullo amplius sensu externo percipi possunt: sic canis quærit, ac proinde cognoscit Dominum amissum, & volucris recordatur pullorum absentium, dum pro illis alimenta conquirat; nec tamen ille Dominum, nec ista pullos ullo sensu externo percipit: tum à priori, quia id necessarium erat, cum ad propriam sustentationem, tum ad generationem & conservationem sobolis.

CAPUT I.

De numero Sensuum Internorum.

Quoad numerum sensuum variant Auctores; quia tamen potentia, ut dictum est, non distinguuntur realiter ab anima, nec isti sensus realiter adequatè distinguuntur inter se, quamvis aliqua distinctio dari possit ex parte organi. S. Thomas 1. p. q. 78. quatuor enumerat, scilicet sensum communem, imaginationem seu phantasiam, potentiam æstimativam & memoriam.

Per sensum communem intelligit illam potentiam internam, quæ omnium sensuum externorum actus & objecta cognoscit, dum sunt præsentia: dum enim quis adurit in pede, non in pede tantum se uri sentit, sed etiam cognoscit in capite, quod aduratur in pede, adeoque & objectum, & sensationem percipit. Vocatur autem hæc potentia sensus communis; quia non unius tantum sensus externi, sed omnium quinque sensuum actus & objecta cognoscit.

Per phantasiam seu imaginationem intelligit potentiam internam, quæ species objectorum per sensus externos & internum communem cognitorum, conservat etiam in eorum absentia: hæc etiam subinde diversarum rerum species intra se combinat aptè, vel ineptè, ut dormientes in somniis solent.

Per potentiam æstimativam intelligit illam, qua anima cognoscit objecta, quæ vel omnino non cadunt sub sensus externos, vel saltem cognoscit sub tali ratione, sub qua non cadunt sub sensum externum, ut cum hirundo cognoscit nidum ex luto & paleis construendum, ad quod multi requirunt species, ut vocant, insensatas, seu per nullum sensum externum hæstas.

Denique memoria est quasi phantasie thesauraria, quatenus conservat illius species, per quas cognoscit res præteritas.

CAPUT II.

De Organis Sensuum Internorum.

Organum sensus interni in animalibus perfectis (nam in insectis forte spargitur per totum corpus) juxta communem tum Medicorum, tum Physicorum sententiam est cerebrum. Ratio est 1. quia læso, aut malè disposito cerebro, licet cor sit integerrimum, læditur vis eliciendi factus sensuum internorum. 2. Quia læsa vel debilitata hac virtute, à Medicis cerebro solent applicari medicamenta. 3. Per vehementes operationes internorum sensuum fatigatur cerebrum, uti vel somniantes experiri possunt. 4. Sensus externi potissimum in capite collocati, possunt commodissime species ad cerebrum & sensum communem mittere per eos ipsos nervos, per quos à cerebro spiritus animales in organa sensuum externorum descendunt: & hæc nervorum cum cerebro communicatio patet ex ipsa, quam dedimus, anatomia. An verò diversæ cerebri partes diversis sensibus internis respondeant, prorsus incertum est.

Probabile est, sensum communem residere in ea parte cerebri, ad quam primò appellunt nervi communicantes cum sensibus externis, ubi nempe sunt corpora striata & prominentiæ prope medullam oblongatam: quamprimum enim illuc deferuntur species aut spiritus, datur sensationis & objecti perceptio interna sensus communis, nondum clara, sed quodammodo confusa, donec spiritus aut species ulterius deferantur in plexum internum ac medullarem cerebri substantiam, quæ est amplum spirituum animalium receptaculum, in quo variè moveri possunt ac combinari, eo modo, qui ad clariorem objecti representationem requiritur, quod est opus imaginationis.

Quatenus verò, ut ait Duncanus, hujusmodi spiritus moventur, efformant in cerebro veluti strias & cellulas, in quibus aut recipiuntur species, aut spiritus ad similem motum, quem prius habuerunt, determinantur, ut præteritas imagines denuò exhibeant: unde memoriæ sedem collocat in hujusmodi sulcis & meatibus, cavernulis & rimulis cerebri. Hinc qui solidiorem habent cerebri substantiam, difficilius memoriter addiscunt, egentque frequentiori repetitione earundem rerum, ut quasi totidem arietationibus spiritus animales effodiant sibi rimulam suæ undulationi convenientem, quæ rima sic difficulter excavata, non ita postmodum facile subsidit ob firmiorem cerebri substantiam; unde illi, qui difficulter memoriâ addiscunt, tenacius plerumque & diutius retinent, quæ semel didicerunt: secus verò pueri, quibus cum sit mollis cerebri substantia, facilius addiscunt, & facile obliviscuntur.

Adulta dein ætate, cum omnia ferè jam sulcis plena sunt, difficilius novas rerum imagines imprimimus. Inde etiam est, cur in quibusdam morbis omnis deficiat memoria; quia scilicet cavernulæ memorativæ extraneâ materiâ obruuntur, quæ si sensim postea abeat, redit memoria. Hinc etiam explicatur, cur in ardentibus febribus, in quibus spiritus animales cerebri interturbato motu agitantur, eveniant deliria, eò quod nempe spiritus inordinatis commotionibus modò in hanc, modò in illam speciem effluant, atque ita determinent animam ad varias cognitiones rerum, quæ nullum habent inter se ordinem. Idem contingit in somniis, quando scilicet spiritus animales agitantur, vel eodem motu undulationis, quo agitati fuerunt per diem ad quorundam objecto-

rum

rum præsentiam, vel alio motu, quo simili nunquam agitata fuerat cerebri substantia; & inde est, cur plura cogitentur in somniis, quæ nunquam in mentem venerant.

Appetitus denique sensitivus, qui consequitur, est potentia vitaliter prosequendi bonum, & averfendi malum cognitum, & per actum imaginationis representatum. Ad appetitum dein consequuntur varii motus & actus in potentiis subordinatis, quibus executioni mandatur, quod imperatum est. Varii sunt porro actus appetitus, tum concupiscibilis, tum irascibilis, uti est amor, odium, desiderium &c. de quibus Contempl. ultima. Illius sedes juxta communem Doctorum est in cerebro, ubi habetur cognitio: ignoti enim nulla cupido. Nec obstat illud Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes male:* per cor enim sapissime in S. Scriptura intelligitur anima; nec cogitatio est propriè actus appetitus. Nec etiam refert, quòd in hujusmodi passionibus animi cor aliter afficiatur; nam etiam partes aliæ afficiuntur aliter, etsi non appetant: id enim fit propter animæ continuitatem, & partium connexionem, atque communicationem; nam in lætitia fit sanguinis affluxus in omnes corporis partes, unde vultus hilaris; in amore pectus videtur ardere; in audacia fit pectoris contentio, frontis explicatio, capitis obfirmatio; in tristitia verò, metu, desperatione, rarior sanguis è corde, & minor copia spirituum animalium in partes corporis defluit, unde genarum pallor, contractio corporis, intercisa & debilis respiratio, tremor artuum, singultus, gemitus, suspiria &c.

C A P U T III.

De communicatione Sensus externi cum interno.

Qua ratione fiat à sensibus externis ad cerebrum propagatio, non ita conveniunt Auctores. Peripatetici volunt à sensibus externis ad cerebrum transmitti speciem seu qualitatem absolutam, quæ ibidem concurrat cum anima ad cognitionem eliciendam. Neoterici verò id explicant per communicationem nervulorum & spirituum animalium; nervi enim à sensibus externis ad cerebrum usque propagantur, qui si tensi sint; inquit P. Fabri, & commoveantur in organis sensuum externorum; motus hic ad cerebrum usque propagatur ut in alia chorda tensa videre est. Et quomodo species visibilis per corpus opacum traduceretur? id certè *Specierum visibilium indoli adversatur*, ait P. Fabri lib. 3. de Homine prop. 8. Alii verò dicunt, post contactum & commotum nervum in sensus externi organo, fieri motum regressivum undulationis spirituum animalium; in nervo contentorum, ad cerebrum usque, per quem anima ibidem determinetur ad percipiendum; factam fuisse in tali aut tali organo, talem ac talem impressionem. Utrumque hunc modum adhibent alii, ut dictam communicationem explicent. Imò sunt eorum multi, præsertim qui animam rationalem in solo cerebro statuunt, qui putent à sensu interno tantum, non autem ab externo fieri perceptionem objecti.

Ratio eorum est 1. quia si fortè mens aliò intenditur, res, quæ sunt in conspectu, non cernimus. 2. In somno, cùm cerebrum somnus occupat, licet sensus exteriores feriantur, nihil percipimus. 3. Cùm cerebrum apoplexia percutitur, nihil percipiunt sensus externi. 4. Inter somniandum, dum spi-

ritus aut species in cerebro moventur eo modo, quo fuissent moti post impressionem sensibus externis factam, juraremus, nos videre, audire, tangere &c. varia objecta, quamvis sensus externi operentur nihil. 5. Quibus manus aut tibia præcisa est, de acerrimo quandoque dolore in manu aut pede conquerruntur, quasi integræ adhuc manerent eæ partes, eò quòd in cerebro, non in partibus affectis fiat perceptio. Et hoc confirmant ulterius, quia si sensatio fieret in oculo vel in aure, bis perciperetur objectum à duplici aure vel oculo. Igitur juxta istos anima esset in cerebro veluti Princeps in sua sede, ad quam spiritus ministri hinc inde appellentes nunciarent, quid in aliis partibus fieret; illa autem ibidem perciperet.

Propter has rationes negari non potest, quin ad perfectam objecti perceptionem requiratur communicatio organi externi cum cerebro; sine nervis enim & spiritibus animalibus cum cerebro communicantibus nusquam fit sensatio: quòd tamen tota sensatio fiat in cerebro, & neutiquam in organo externo, videtur contra sensum communem & experientiam, quâ judicamus revera pedem dolere, si aduratur, linguam gustare &c. Et hujusmodi sensatio est longè vivacior ac alia, quàm si sola phantasmata moveantur per imaginationem. Quare dicendum videtur, sensationem revera fieri in organo ritè disposito, licet ulterius per propagationem ad cerebrum objecti perceptio plurimum perficiatur. Quòd si tum species transmissæ, tum spirituum aut nervorum motus ad cerebrum usque propagatus non sufficere videantur, addere poteris cum aliis, tantam esse animalium operationum inter se connexionem, ut posita v. g. sensatione pedis tanquam conditione, anima, quæ est una, illico determinetur ad illius perceptionem in capite, sicuti sæpius posita cognitione determinatur ad appetitionem, & posita appetitione efficaci, determinat pedes ad motum. In brutis autem, si anima in iis est divisibilis, hæc communicatio explicari deberet per unionem continuativam partium, vi cujus sunt sufficienter applicatæ, ut ad singulas operationes concurrant. Sed ubique difficultas, certi nihil. Communicatio tamen alia, quàm per solam animam, videtur necessaria, cum sine illa nec pedes sentiant, nec ad motum incitentur.

De Somno & Vigilia.

Somnus definitur, sensuum externorum ligamen ad animalium quietem & salutem institutum. Dicitur; sensuum externorum, quia interni sæpe operantur, ut constat in somniis, quæ tamen somnia, si Divina excipias, nihil indicant, nisi plerumque præsentis temperamenti dispositionem, & hominis constitutionem. Dicitur 2. ad salutem institutum, ut distinguatur ab apoplexia, aliisque morbis usu sensuum privantibus. Porro ligamen hoc datur, cum cessat commercium cerebri cum sensibus externis, quod fit, dum spiritus animales labore diurno exhauriuntur, vel cum humoribus sopiuntur; hinc qui humidioris sunt temperamenti, uti pueri, dormiunt diutius: vel cum spiritus in stomacho ad digestionem ciborum occupantur; hinc in aliquibus somnus post prandium: sunt etiam quidam succi, uti papaveris, qui soporem conciliant, dum meatus obstruunt &c.

Interim autem, dum ab operationibus cessatur, reparantur spiritus, fit melior nutritio, fit pacatior sanguinis motus, totumque refocillatur animal. Suavior est somnus, si lateri dextero incumbamus, ut habet schola Salernitana.

na. Discutitur verò somnus, vel sponte, dum nempe spiritus novi emergunt, seseque expandunt, aut solvuntur à compedibus feri &c. vel violenter, cum sensus exterior clamore, punctione percellitur; aut acris humor divexat corpus; tunc enim partes nerveæ vehementius sollicitatæ, quidquid est spirituum concitant in motum, nec quies animali conceditur. Ex quibus intelliges, quid sit vigilia. In hac Confid. ea possunt recoli, quæ dicta sunt, ubi de unione.

CONSIDERATIO V.

De Anima Rationali.

Anima rationalis est actus primus corporis naturalis organici potentiâ vitam rationalem habentis. Quomodo existat, & sit forma informans corpus, probatum habes Contemp. 2. & 11. Cum spiritualis sit & immortalis, ut postea probabitur, nec generatur nec corrumpitur, adeoque nequaquam ex subiecto materiali dependet, aut sustentatur; sed à Deo creatur, dum corpori infunditur, uti habet communis & vera omnium Orthodoxorum doctrina. Unde ait Ecclesiastes cap. 12. *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Et 2. Machab. 7. Mater illa suos filios ita alloquebatur: *Neque enim ego spiritum & animam donavi vobis.* De anima rationali jam hæcenus hinc inde multa. Superest, ut, quæ eidem sunt propria, hæc discutiamus.

CAPUT I.

An hominis Anima sit Spiritualis?

Variant Authores circa notionem entis spiritualis & materialis: à potiori tamen in hoc conveniunt, quòd ens materiale sit ens quantitativum, si-ve quod est vel ipsa quantitas, vel naturaliter perpetuò ac physicè connectitur cum quantitate, si-ve hæc distinguatur à materia si-ve non. Unde multi fecerunt ens materiale à spirituali per hoc, quòd illud, vel sit immediatè sensibus perceptibile, vel naturaliter, perpetuò ac physicè connectatur cum ente sensibus immediatè perceptibili. Et hæc notio videtur communis & clarissima, quam habeamus de ente materiali. Unde ens spirituale erit, vel substantia elevata supra omne quantitativum & sensibile, vel aliquid ex natura sua adæquatè inhærens tali substantiæ.

Dicendum. Anima hominis est spiritualis. Conclusio est Catholica, extatque definita in Conc. Later. sub Inn. III. cap. firmiter, & alibi, nec obscure colligitur ex S. Script. ut ex illo Joan. *Et inclinato capite emisit spiritum,* & aliis plurimis: à ratione autem sic demonstratur. Potentia ex natura sua potens operari spiritualiter est spiritualis; Anima hominis est potentia ex natura sua potens operari spiritualiter: ergo est spiritualis. Major est evidens, & fundatur in illo principio certo ac manifesto, quòd modus operandi sequatur modum essendi, quòdque adeò effectus spiritualis sit à principio spirituali. prob. mi. Quod in suo modo operandi excedit omnem potentiam certò materialem, illud